

50 Coronidis loco queritur de usu LEGIS, quis & qualis ille sit? Respon. Legis usus duplex est: Unus respectu non-renatorum, alter respectu renatorum. Respectu non-renatorum, rursus duplex est: Unus, ut electi nondum renati adducantur in veram cognitionem suorum peccatorum, atq; ita urgeantur ad remissionem illorum quaerendam in Christo: Alter, ut reprobi magis inexcusabiles reddantur. Respectu renatorum rursus duplex est: Unus, ut in cognitione suae corruptionis ac proinde in humilitate indies magis proficiant: Alter, ut regulam habeant, secundum quam per omnem vitam sese Deo pro beneficiis eius gratos declarent. Hucusq; de foedere operum & ejus epitome, nim. DECALOGO: sequitur FOEDUS GRATIAE. Foedus gratiae est foedus Dei, quo Christum cum omnibus beneficiis homini promittit, sub conditione hac, si is in illum credat, & ex illa fide Deum colat. Hoc foedus potissimum in Evangelio describitur: indeque Evangelicum, & simpliciter nomine substantivo Evangelium dicitur. Evangelii summarium est Symbolum Apostolicum.